

ergo non supponunt illa merita voluntatem motam, et determinatam ad dandum præmium, distinguo; non supponunt motam, et determinatam in exercitio, et executione, concedo; in intentione, et per modum finis, nego. Intendit enim Deus gloriam ut finem præmiativum meritorum, et dandum propter merita, sed positus meritis in re, ab illis movetur ad exequendum, et ponendum in re præmium propter illa. Ad illam autem voluntatem intendentem gloriam, merita non concurrunt ut motivum, sed sequuntur ut effectus talis finis. Motivum autem est gloria Dei, et communicatio ejus liberalissima. Et hac ratione respicit Deus merita ut causas proximas illius existentia, et futuritionis gloria; sed tamen tales causæ proximæ non sunt motivum finalizandi et intendendi, sed potius ex fine derivantur tamquam effectus, quia ab ipsa finalizantur, et moventur, ut perveniant ad executionem finis.

XVI. Quando arguitur, aliquibus exemplis quæ videntur convincere gloriam ante prævisa merita efficaciter non esse volitam. Nam si rex aliquis ea lege proponat præmia, ut solum dentur certantibus, et vincen- tibus, poterit quidem ex sua liberalitate præmia proponere, et certamen instituere, sed non poterit eligere efficaciter aliquem ad præmium antequam videat victorem evadere. Et hoc ideo quia esse victorem est conditio habilitans ut quis sit eligibilis ad præmium. Ergo similiter licet Deus liberaliter proponat gloriam dandam hominibus, tamen non eligit aliquem efficaciter ad illam, nisi postquam videat merentem, et vincen- tem, quia esse victorem est conditio habilitans ut sit eligibilis. Similiter licet in his quæ aliquis sit consecuturus per se, et per suam operationem, possit prius intendere finem quam media, ut sa-

nitatem prius quam medicinam, et præmium a se assequendum priusquam sua merita: tamen in his quæ sunt consequenda per alium, non potest quis efficaciter intendere, et decernere quod aliquid detur, vel consequatur, nisi prius videat media, et conditiones ad id requisitas, sicut si quis desiderat ut filius suus doctor fiat, non potest id efficaciter decernere, nisi prius videat ipsum strenue litteris vacare, et in exemplo supra posito de propouente præmia victoribus, idem patet. Ergo similiter Deus non eliget efficaciter homines ad gloriam quousque videat ipsos strenue merentes, et vincentes.

Confirmatur, quia Deus gratis eligit ad gloriam ante merita: ergo gratis ponetur in re, etiamsi non sint merita; et sic merita evacuantur, et et carent effectu, quod erroneum est. Consequentia patet, quia illa voluntas sic eligens efficax est: ergo si pro illo priori quo eligit ante prævisa merita, efficaciter eligit, etiamsi in alio posteriori non inveniat merita, sequetur effectus: illud enim prius decretum est invariabile, et efficax; et sic independenter a posteriori ponet effectum suum.

Confirmatur secundo, quia Deus decreto communi reprobis et prædestinatis voluit omnibus dare gloriam, quia voluit omnes homines salvos fieri, et hæc voluntas fuit ante prævisa merita: ergo ut efficax reddatur, et propria prædestinatorum, debet esse non ante prævisa merita, sed post.

Respondetur exempla non esse quadrantia respectu Dei, qui non solum est causa finis, sed etiam medi- orum, et omnium conditionum, quæ habilitant hunc ut eligatur ad præmium, et finem. Itaque in hac parte comparatur Deus, et eodem modo se habet, sicut ille qui intendit aliquem finem per media, seu opera a se faciendâ. Eadem enim ra-

tione Deus est causa medi- orum, seu operationum, quas nos facimus, sicut ego sum causa operationum quos ego facio, et per quas consequor finem, quia Deus intime etiam operatur in nobis, et est prima radix, et causa omnium meritorum, et medi- orum, et habet in potestate sua voluntates nostras magis quam nos ipsi, ut jam supra ponderatum est. Sic ergo dicimus ad primum exemplum, regem non eligere personam ad præmium, nisi supponat victorem, quia victorem ipse non facit, sed qui certat pro præmio, suis viribus, et industria victor existit. Quare non mirum quod ante hanc conditionem visam in subjecto non eligatur a rege, quia sine illa conditione est inhabilis ut eligatur. Si autem rex ipse deberet facere, et constituere illum victorem gratia sua, et viribus a se datis, et directis, non posset illum eligere ad talem conditionem victoris, et merentis supponendo merita, sed præbendo, et consequenter ante merita ut motiva, non tamen ante merita ut consecuta et effectus talis volitionis. In secundo exemplo non est quod hærea nus cum manifeste constet Deum non sic providere hominibus finem, et media, sicut pater providet filio ut sit doctor, quia homo providet emedicando ab aliis, et dependendo, Deus dando omnia et nullo indigens. Quare magnæ paupertatis intellectus est, qui ex timida, et incerta nostra providentia velit metiri summam illam, absolutissimam, independentissimam, omnipotentissimam providentiam. Omnes creature non magis se extendunt in providentia, et dispositione sua, quam ab aliis causis petendo, mendicando, vellicando, plura supponendo, pauca causando, quia in paupertate sua agunt quidquid agunt. Solus Deus dives est in misericordia, et nullius indigens.

XVII. Ad confirmationem respondetur multa ex his argumentis pati æquivocationem in illo termino gratis, quem non bene applicant, et mutant appellationem. Nam verum est quod Deus gratis eligit ad gloriam et ante prævisa merita, si ly gratis ponatur ex parte motivi, quo Deus movetur ad intendendum, non tamen eligit ad gloriam gratis, id est, ad dandum illam sine meritis; et sic valde diversus est sensus, et mutatio appellationis dicere: Gratis Deus eligit ad gloriam, et: Deus eligit ad gloriam dandam gratis, quia in primo fit sensus quod Deus ex motivo gratuito, et non ex meritis movetur ad electionem hujus ad gloriam; in secundo vero denotatur quod Deus non solum ex motivo gratuito movetur ad intendendum ex parte sui, sed ex parte rei consequendæ titulo gratuito vult illam dare. Et hoc est falsum. Et quando dicitur in argumento, quod si gratis eligit ad gloriam, gratis ponetur in re talis gloria, distinguo; si gratis eligit quantum ad motivum dandi illam, et non quantum ad titulum dandi, nego antecedens; si gratis eligit quantum ad motivum intendendi (quod est gratuitum) sed non quantum ad titulum dandi in re, qui est meritum, non quidem per modum motivi, sed per modum effectus consecuti, transeat. Deus autem eligit gratis ad gloriam, ly gratis tenente se ex parte motivi in ipso Deo intendendi, quia non ex motivo meritorum eligit, non autem ly gratis tenente se ex parte tituli in homine sub quo reddenda est, quia titulus quo Deus vult gloriam esse reddendam non est gratuitus, sed meritum, licet motivum quo Deus movetur ad intendendum istam gloriam ut finem, et illum titulum meritorum, ut media, sit gratuitum. Nec est idem motivum intendendi finem, et titulus dandi postea in re, cum iste ti-



tulus sit volitus, et datus a Deo ex aliquo fine; et sic non potest esse motivum volendi ipsum finem. Sed quia quando in re datur ipsa gloria, datur ob titulum, et ille titulus tunc est motivum dandi, quia est meritum quod non attingit finem, nisi movendo voluntatem, æquivocatur ad putandum quod ille etiam titulus est motivum intendendi illum finem sicut in executione movet ad dandum. Sed hoc non est possibile, quia ad intendendum finem nullus movetur titulo mediorum, sed ex ipsius finis convenientia, media autem se habent ut effectus consecuti, quæ ob finem diliguntur: ergo non possunt præbere motivum intendendi finem, sed ex fine intento est volitus titulus quo tamquam merito, et medio detur postea assecutio ipsa finis. Quando vero additur quod illa voluntas sic gratis eligens efficax est, concedo: ergo si non inveniatur merita pro alio posteriori signo adhuc sortietur effectum, nego suppositum, quia si est efficax, non est possibile quod in alio posteriori non inveniatur meritum, quia ad hoc ipsum efficax est, ut causet ipsa merita, et merita sint effectus ejus, quia illa est efficax voluntas finis, quæ virtualiter continet media, et causat de facto illa, alias non esset efficax, si de facto media non causaret, et in illa influeret, media autem sunt merita: ergo si est efficax ad causandum merita, non potest non in posteriori habere illa; et sic sine illis non sortietur effectum, sed per illa.

Ad secundam confirmationem respondetur concedendo quod inefficax voluntas dandi gloriam, quæ est communis reprobis, et prædestinatis, non est ex prævisis meritis, ut ex motivo, neque etiam habet illa merita pro effectu consecuto. Voluntas autem efficax intendens gloriam, non ex eo redditur efficax, et distinguitur ab inefficaci, quia ha-

betur ex meritis, ut ex motivo, sed quia ex motivo efficaciter intendente habet merita pro effectu consecuto. Et illud motivum ad intendendum efficaciter est divina bonitas ostendenda per misericordiam aut aliud simile motivum, unde derivatur volitio mediorum quæ sunt merita.

XVIII. Ultimo arguitur: Decretum efficax dandi gloriam ante prævisa merita est decretum antecedens nostram liberam voluntatem, nec in ejus manu est tale decretum non dari, aut illi jam dato et posito resistere: ergo tollit libertatem nostram. Patet consequentia, quia efficacia talis decreti non est consequens nostram libertatem, quia non supponit illam; et sic non est consequens ad illam, sed antecedens: et ex alia parte non est in manu voluntatis eam avertere, aut ei resistere, quia ex natura sua infallibilis est, et efficax: ergo non manet in potestate voluntatis exercere libere actum qui prævenitur infallibili determinatione quando exercet illum.

XIX. Confirmatur, quia posito illo efficaci decreto ante prævisa merita, tale decretum est independens in efficacia sua a quocumque actu meæ voluntatis: ergo et in effectu suo. Effectus autem ejus est dare gloriam de facto; ad hoc enim efficaciter fit electio: ergo iste effectus ex vi talis electionis independens est a quocumque actu meo: ergo ex vi illius non repugnat quod ego salutem consequatur independentem ab omni actu meo; consequens est impossibile: ergo etiam quod talis voluntas in Deo detur.

Confirmatur secundo, quia in probatione non datur duplex exclusio a regno, altera ante prævisa demerita, altera post illa prævisa, quia Deus solum uno modo excludit a regno, scilicet puniendo, et ratione culpæ, non ante illam, alioquin

crudelis esset Deus sine culpa damnans. Ergo neque datur duplex electio ad gloriam, altera ordine intentionis ante prævisa merita, altera ordine executionis ratione meritorum.

XX. Respondetur argumentum illud sæpissime a nobis esse solutum, et ostensum quam sit infirmum. Negatur consequentia.

Ad probationem dicitur, quod illud decretum non est consequens nostram voluntatem, sed antecedens, distinguo; antecedentia causativa actus, et libertatis, seu indifferentiæ ejus, concedo; causativa actus solum, et non libertatis ejus, nego. Talis autem suppositio antecedens non tollit libertatem: nec enim quælibet suppositio antecedens eam tollit, sed suppositio necessitans, nempe illa, quæ ita constringit, et determinat voluntatem ad actum quod etiam impedit facultatem ad oppositum, et tollit indifferentiam iudicii, et dictaminis. Si autem servata indifferentia iudicii, et facultate ad oppositum, antecedit causando in nobis determinationem ad actum, illa determinatio non ligat voluntatem sed solvit, non claudit cor sed aperit, sicut Actor. *xvi* dicitur de Lydia purpuraria: *Cujus Dominus aperuit cor intendere his, quæ a Paulo dicebantur*. Est enim quædam determinatio cordis, quæ pertinet ad resolutionem, ex applicatione ad opus, et est quædam indeterminatio, quæ pertinet ad suspensionem, et perplexitatem, et ligationem: unde homines parum resolutos solemus appellare ligatos, seu perplexos. Et resolutio hujus perplexitatis, et ligationis causam aliquam, et persuppositionem debet habere, et illa si est causa, antecedit actum, non sequitur, non tollere debet libertatem, sed causare; sic enim si tolleretur, non conducirer ad resolutionem actus. Causa hujus

resolutionis ex parte objecti, est propositio vivacior intellectus, quæ est motio moralis, non sufficiens de se voluntatem applicare, et resolvere, nisi ipsa efficienter se moveat, et determinet. Ejus autem efficientia causari debet elicitive a nobis, sed motive, et primordialiter a Deo, qui est prima causa omnis efficientiæ, in ipso enim vivimus, et movemur; et sic est radix nostræ voluntatis portans hos, non nos portamus illum: ergo prima causa sic efficienter atque adeo antecedenter resolvens non tollit, sed causat libertatem, vel lædit eam magis quam nostramet voluntas, quæ in sua etiam libertate est potentia a Deo dependens, et ab eo ut a radice habens libertatem. Et ad instantiam: Illa antecedentia est efficax, et infallibilis, cui non potest resisti, nec est in manu mea illam avertere: ergo impedit facultatem meam, nec conservat potestatem in oppositum, respondetur; est efficax, et infallibilis præcise ad faciendum actum, nego; ad faciendum actum cum libero modo, concedo; et sic erit infallibile quod fiet libere, non quod fiet quomodocumque. Et non possum ei resistere, distinguo; quoad hoc ut fiat libere non possum resistere, concedo; quia totum hoc vult Deus, et hoc est potentia consequenti, et in sensu composito ei non posse resistere; quoad hoc ut fiat absolute, et potentia antecedenti, nego: hoc enim vult Deus, quod possim dissentire, et facere oppositum actum, et quod de facto non faciam; et sic ei non possum resistere, quia in posse resistere semper involvitur potentia consequens, quæ scilicet possit conjungere actum meum contra actum Dei conantem contra meum. Et hoc implicat, quia conatus Dei est factio ipsa rei. Quare non est in potestate mea decretum Dei ponere, quasi aliquid